

sem, quod significat etiam caelum, Deum, vel hominem caelestem. Unde transferas: oleum seu unguentum effusum caelum tuum, homo caelestis tuus, vel Deus tuus. Potest verti, unguentum exinanitum Deus tuus, ut sit id, quod de Deo Paulus dixit ad Philip. 2. 7. exinanivit semetipsum: non in Cruce solum, sed in Eucharistiae mysterio, ut explicat in Epist. contra Paulum Samosatenum. Haec est exinanitio Deifacita ad usum nostrum, ut possimus capere eum; hoc enim mysterium pertimescendum dicit S. Apostolus, quod seipsum exinanivit. Sic Christus in Eucharistia exinanitus ad instar unguenti est summæ fragrantiae; imò totus ille quantus est, unguentum est prodigum & effusum, incorruptos reddens dignè epulantes: unguentis enim emorua corpora imbuta, in longum durant incorrupta.

1988 Adhuc sponsa Ecclesia ad hanc almæ Eucharistiae suaveolentiam respicit, cum hoc potita mysterio ajebat Can. 1. 12. Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi. Hinc Cypri Botrum de corporis & sanguinis Domini Sacramento interpretantur Aponius, & recentiores non pauci. Favet Guillibertus Ser. 36. in Cantica, qui observat, Semen Cypri cum manna similitudinem habet: semen album est, & simile semini coriandri. Et Cassiod. apud Del Rio: Cyprus arbor est aromatica, semen simile coriandri habens, id est, album, & sublacidum. Unde Regium unguentum paratur. Manna verò Eucharistiae fuisse typum, certum est. Cæterum, quid Cypri Botrus sit, magna est inter expositores disceptatio. Certè illorum mens aridet, qui putant Balsamum esse præstantissimum, cujus odor suavissimus, & proventus magnus in vineis engadditicis. Vel erit, ut alii arbitrantur, liquor aromaticus Cypri arboris, quem S. Hieron. testatur odoratum esse, è quo cyprinum sit unguentum odoratissimum, & saluberrimum, quod Regium appellavit memoratus Cassiod. Et quidem nemo est, qui dissentiat, Cyprum aromaticam arborem esse, cujus botrus nobilissimæ fragrantiae sit. Ut verò Ecclesia commendat præstantissimam Eucharistiae suaveolentiam, illam Cypri Botrum appellat; balsamum nempe odoratissimum, & saluberrimum; seu liquorem aromaticum suavissimè spirantem, ad multa deservientem, quæ voce Cypri Hebraicè copher, significantur: est enim à radice caphar, quod est expiare, remove iniquitatem, placare, remittere. Unde veritas: botrus expiationis, placationis, remissionis, remotionis iniquitatis. Est enim Eucharistia sacrificium propitiatorium, placabile, expiatorium, potens peccata consumere, & omnes animi morbos curare. In vineis Engaddi, Hebraicè, ut supra notavi; in vineis Agni, Coriandri, felicitatis, bonæ fortunæ, id est, in Ecclesia Christiana, quæ est Agni immaculati Sponsa, & locus felicissimus, fortunatissimus, & Coriandro, seu manna abundans.

1989 Præclara erat Malachiae prædictio de Missæ sacrificio multis Patrum testimoniis & Tridentinae Synodi decreto roborata, sessione 22. c. 1. Ab ortu solis (ait Vates c. 1. v. 11.) usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus; & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Nomen hic pro celeberrima fama, seu notitia sumitur. Et magna cum em-

Et exinanitio Dei ad nos.

Botrus Cypri Eucharistia. Cant. 1. 12.

Gillibert.

Cassiodo. Cypri arbor aromatica.

Botrus expiationis, & redemptionis.

Malach. 1. 11.

phasi vocatur à Malachia Eucharistiae sacrificium oblatio munda. Hebraicè, ut vertunt Rabini, Vatablus, Pagninus & alii: in omni loco sufficitur, vel suffimentum offertur nomini meo oblatio munda. Syrus, in omni loco facium mihi incensa. Tigurina, incensum & mola pura offertur, cum respectu ad Thymiamatis sacrificium fragrantissimum. Cui successit longè præstantius & fragrantius Missæ sacrificium, & Eucharistiae mysterium, cujus odor longius effunditur, diutius persistit, suavius sentitur in caelis, & in terris.

1990 Quò spectat arcanum illud spectrum Joanni ostensum Apoc. 5. Agnum vidit stantem tanquam occisum. Græcè immolatum, sacrificatum, mactatum. Quo adumbrari Missæ sacrificium, rectissime putat noster Alcazarius ibi. Stipabant circumquaque Agnum viginti quatuor seniores levis vestibus induti, & coronis aureis condecorati, habentes singuli phialas aureas plenas odoramentorum. Quid hoc? Idem Alcazar existimat, Ecclesiae Sacerdotes in viginti quatuor hisce senioribus figurari, qui Græcè Presbyteri appellantur, & ob eorum egregiam sanctitatem albis induuntur vestimentis, capitibusque coronas aureas impositas habent, utpote viri principes dignitate Regali solidè & expressè insigniti. Quos eodem seniorum, seu Presbyterorum nomine indigitavit Isaïas c. 24. v. 23. juxta S. Cyril. Alexand. interpretationem ad illud caput, quam Turrian. noster commendat & illustrat in suo libello aureo de Eucharistia. Illud hic signatim premedum: quid per aureas phialas odoramentis plenas significetur? & quanam illa odorum suffimenta, quæ phialis tanquam thuribulis, seu prunariis, Seniores offerrebant? Respondet argutè & fati solidè Alcazar; phialas aureas (quæ non aliæ sunt, quàm ingentes patera, seu calices) perspicuum esse Evangelici Sacerdotis insigne: unde perinde esse, seniores illos induci cum phialis, atque ipsos depingi calices in manibus tenentes, & Altaris sacrificium offerentes: hos verò calices id officium spiritualiter præstare, quod thuribula seu prunaria, in quibus thymiamata incenderentur, eorumque fumosus vapor tolleretur in altum. Etenim Christi charitas, quæ in ejus passione, & sanguine Eucharistici calicis maximè elucet, instar thuribularii ignis metaphoricè significatur, ipsum verò sacrificium suaveolentis odoris est, ut dicitur in Missa Æthiopum, & suaveolentes reddit fidelium preces, quas simul cum Christi sanguine, & odoratissimo sacrificio offert Sacerdos, ut sic usque ad Dei conspectum ascendant. Quod apertè declarant ea Sacerdotis verba, calicem offerentis: Offerimus tibi Domine calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam, ut in conspectu divinae majestatis tuæ pro nostra & totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Ecce quo jure Malachias appellavit Eucharistiae sacrificium, suffitum, suffimentum thymiamatis, quod adsurgit, & exhalatur indeficienter.

Eucharistia oblatio odoratissima.

Apoc. 5.

Calix Eucharisticus plenus odoramentorum.

Ecclesia.

TEXTUS ILLUSTRATIO

De Beata Virgine.

SECTIO L.

Gratissimus Mariae fama odor per totum orbem diffusus.

1991 Huc etiam spectat illud diversimodi odoris symbolum, quo utitur Sira-cides: nempe ut commendat unà cum Christi Domini publica notitia, celeberrimam Deiparae Matris famam, quæ caelum, terrasque omnes suavissimè perfudit, quasi cinnamomum, & balsamum aromatizans; quasi myrrha electa, quasi thus præstantissimum, & balsamum non mixtum. In hunc sensum verba capit Ecclesiastici S. Bonaventura in speculo. c. 7. Consideremus, inquit, quomodo plena sit Maria re-sensione odorifera fama. Sicut enim ager plenus odoriferarum specierum odoribus, sic Maria plena est odorifera fama sua aspersibus &c. De isto odore ipsa sancta gloriabunda dicere potest illud Ecclesiastici: Sicut cinnamomum & balsamum, &c. Odor Mariae fuit sicut cinnamomum exterius in cortice conversationis sicut balsamum interius in unctione devotionis; sicut myrrha in amaricatione castigationis &c. Similia habet Hugo Carentis in Ecclesiastico.

S. Bonav.

Deipara plena odorifera fama resensione.

S. Bonav.

Prægnata per famosissimam famam heroinas.

1992 Deinde, Bonaventura cap. 8. explicans qua ratione B. Virgo sit celeberrima, nominatissima, ac famosissima, ita fatur dulcissimè: Tu bene signata es per illam Ruth, de qua legitur: Sit exemplum virtutis in Ephraïta, & habeat celebre nomen in Bethleem, id est, in Ecclesia. O celeberrimi nominis Maria, quomodo posses nomen tuum non esse celebre, quæ etiam devote nominari non potes, sine nominantis utilitate? Maria optime signata est per illam famosissimi nominis faminam Judith, de qua scriptum est: Haec est in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde, neque erat qui de illa loqueretur verbum malum. Famosa quidem est Maria propter virtutes, & exempla sua tam laudabilia: famosior autem propter misericordias, & beneficia sua tam inenarrabilia: famosissima verò propter gratias, & privilegia sua tam mirabilia. Quid enim mirabilius, quam esse Matrem, & Virginem, & esse Dei Matrem? Quid autem mirum, si Maria de tantis nullibus misericordiae suae beneficiis famosa est in mundo? Explicuit luculentissimè Seraphicus Doctor præcipua capita, ob quæ celeberrima Deiparae fama universum mundum jucundissimè compleverit.

Cant. 3. 6. Maria Virgula fumi ex aromatibus.

Guilielm.

1993 Et Angelorum, & hominum vox illa est, non ignorantium, sed gratulatoriè admirantium fragrantem ubique Virginis famam. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae, & thuris, & universi pulveris pigmentarii? Ex Hebræo transferas: sicut palma, vel columna fumi? nempe odoratissimi, quem myrrha, thus, & id genus alii odorati pulveres, cum igne supposito cremantur, emittere solent. De fragrantissima Deiparae notitia, & publica fama per universum orbem diffusa Guilielmus explicat: Sicut virgula fumi ex aromatibus fuit Deigenitrix, rectè per actionem, fragrans per bonam existimationis famam. Dicitur suum spargere odor. Udeph. de Flores in Eccles.

rem per desertum, id est, Gentiles Nationes, ad quas celebris Mariae fama pervenit; & à quibus ipsa sic suaveolens miros triumphos reportavit, dum eas ad Christum his odoramentis pellectas adduxit. Ideò sicut palma fumi ascendit, quæ est victoriae symbolum; ideò sicut columna fumi; quia, et si ejus notitia instar fumi aromatum effusa sit; in vitricis palmas, & marmoreas columnas roborescit, quibus Christiana fides possit inconcussa inniti.

1994 Similiter divinus Sponsus Cant. 4. Cant. 4. 10. Odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Ubi R. Salomon apud Genebrardum: Odor unguentorum, celebritas, & fama: R. Innominatus ibidem: nomen & existimatio tua. Chaldaeus: & nomen bonum fragrantissimum est omnibus aromatibus. De B. Virgine explicat Honorius, Guilielmus, & alii, cujus fama per unguentorum odorem designata omnibus præfertur aromatibus, quia suavius sentitur, & longius diffunditur. Subtextit sponsum luculentius v. 14. Emissiones tuæ Cypricum nardo, nardus & crocus, fistula & cinnamomum, cum universis lignis Libani, myrrha & aloe cum omnibus primis unguentis. Pro emissiones ex Hebræo veritas, balneus tuus, sive odor tuus, quem ex te emittis; fama nempe tua totum perfundens orbem, ad instar est cunctarum pretiosissimarum plantarum, quarum usus in unguentis suaveolentibus miscendis. Deinde sic jubet Sponsus: Surge Aquilo, & veni Auster; perfla hortum meum & fluent aromata illius. Rectè hic Genebrardus: precatur ut odor, & bonafama suarum virtutum ad sponsum assidue perveniat. Dixerim; Sponsi votum esse, ut odoratissima Deiparae fama morales omnes perfundat. Ut id fiat, Aquilonari vento hortis admodum noxio jubet, ut ducedat, & Austro, ut succedat, & aspiret hortum; sic enim calore suo temperato plantæ atque arbores odoratæ vim odoris emittunt ex sese. Sed quid per Aquilonem, quid verò per Austrum designatur? Aquilonis nomine spiritum Diabolicum intelligit, Hæreticos alioque à fide alienos exagitantem, ut Virginis famæ spatiandæ obstaculo sint. Austri verò metaphora Spiritus sanctus designatur; quod flante virtutum Mariae, gratiarumque fragrantia, ut aromata lectissima calefacta, non per unicum Judææ angelum, sed per orbem totum, suaveolentiam famæ dispergit. Hortus planè deliciarum (ait Bernardus de S. Bernard. Virgine Ser. in ejus Nativit. de aquæductu) quem non modo afflaverit veniens, sed perflaverit superveniens Auster ille divinus, ut undique fluant, & affluant aromata ejus, charismata scilicet gratiarum. Sic deipara suffumigat mundum totum optimo replens notitiæ suæ odore.

Deipara fama totum perfundens orbem.

Sponsi votum, ut odoratissima Mariae fama omnes perfundat.

Maria humilitas & charitas longè suam diffundunt famam.

1995 Inducit Salomon Cant. 1. 12. Dei Cant. 1. 12. Matrem & Sponsam sic loquentem: Dum esset Rex in accubitu suo, Nardus mea dedit odorem suum. Ubi Nardus significat vel herbam odoratissimam diutissimè fragrantem; vel potius, ut multi hic volunt, unguentum præstantissimum, de quo in Evangelis celebris memoria Matt. 26. 7. & Lucæ 7. 46. In Nardo humili herba, Bernardus, Rupertus, & alii agnoscunt Deiparae humilitatem se ancillam Domini profitentis, dum in Dei Genitricem assumitur. Guilielmus Nardum unguentum sive pigmentum calidæ naturæ putat esse fragrantissimam, & fragrantissimam Deiparae charitatem, & devotionem. Utraque hæc virtus ita longè lateque suam diffudit fragrantiam.



tiam, ut jucundissimo odore caelos perfuderit, eoque delectatus unigenitus Dei Filius ex accubitu suo, ex sinu videlicet aeterni Patris, in uterum Virgineum descenderit. *Odor* (ait Bernardus ser. 42.) *bona opinio est, quae ad omnes pervenit; ut Christi sis bonus odor in omni loco, spectabilis omnibus, amabilis omnibus. Sponsa vero humilitas, tanquam nardus, spargit odorem suum, amore calens, devotione vicens, opinione redolens. Hujusmodi esse, inquit, Mariae odorem.*

1996 Verum aridit hic valde Alani de Insulis apud nostrum Del Rio interpretatio isthac: *Dum esset Rex in accubitu suo, id est, Dominus Jesus in requiem assumptus, nardus mea dedit odorem suum, id est, fama mea, quae prius erat humilis, & dejecta, per totum orbem est diffusa. Ita evenit plane; ut Christo jam in caelis commorante, laetissima Deiparae notitia universum perfuderit orbem. Diffudit enim, & quotidie diffundit de alabastris pectoris sui suavissimum famae suae odorem, ac si Nardi unguentum de pyxide diffunderet, quod domum totam odore impleret. Propterea Mariae nomen Bernardus appellat oleum effusum, memoriale in generatione & generationem. Imò ea Canticorum verba cap. 1. 1. Oleum, vel, unguentum effusum nomen tuum, Alanus Christo tribuit, & de fama Virginis celebrissima bellissime explicat, ita: Cujus nomen praekonatur mundus, nisi Virginis hujus? Cujus laus celebratur in ore populi fidelis, nisi Virginis Matris? Cujus humilitas nobis proponitur in exemplum, nisi Virginis Mariae? Cujus virginitas nobis datur in speculum, nisi Virginis incorruptae? Et eleganter fama, & gloria nominis ejus, oleo effuso comparatur: quia sicut oleum effusum magis redolet, sic quanto magis nomen Virginis dilatatur, tanto magis gloria augetur.*

Subinde S. Bonav. in Palterio Virginis merito clamat: *Celi enarrant gloriam tuam; & unguentorum tuorum fragrantia in gemitibus est dispersa. & inferius, in extremis terrae auditum est nomen ejus. Et Idiota de Contemp. Virg. c. 5. In praedicatione Apostolorum in omnem terram exiit sonus tui sanctissimi Nominis.*

1997 Sed enim verò, alium sensum illorum verborum; *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum, libens subitico, praemittens pro in accubitu esse Hebraicè mefebi, à radice sabab, id est, circumire, gyrare, circumdare. Unde verti potest: Dum esset Rex in gyrationibus, in circuitibus, in conversionibus suis. Quid tunc? Nardus mea, ex Syro Chaldaeo transferas, ut docti observant chirotheca mea dedit odorem suum. Dicitur sanè cum intuitu ad projectionem chirothecae in obsidione civitatum, cujus meminere Rabbinii, & expositores Psalmi 59. 10. Agunt enim Regum morem fuisse, cum obsiderent urbem aliquam bene munitam, proicere chirothecam intra illam, ut significarent non antea recessuros quam cepissent. Ait ergo Deipara: *Dum esset Rex in circuitione, in vallo, in obsidione sua, chirotheca mea dedit odorem suum: chirotheca nempe pretioso imbuta odore: Guantes de ambar; guantes de olor. Etenim Rex Regum, & Dominus Dominantium Christus Jesus sedens ad dexteram Patris, donec ponat inimicos suos scabellum pedum suorum, Apostolos virosque Apostolicos misit per universoni mundum, ut oppida, civitates, & regna circuirent, & obsiderent, interim clan-**

Maria nomen oleum effusum toto orbe.

Alanus.

S. Bonav.

סבב סבב

Deipara, in-star chirotheca odoratissima, subicit Christo nationes.

gentes praedicationis tubis, ut olim Sacerdotes Hebraeorum in obsidione Jerichuntinae urbis. Quid item legionum Dux Jesus meditatus, quo vallatae urbes suae subiciantur dirioni? Sanè ab odoratissima chirotheca praesidium habuit, à Virgine nempe Matre, quae gratissimae notitiae suae odore quoquoaversus sparsa subjectas fecit penè omnes Christi imperio nationes; ut olim Arca (quae Mariae symbolum erat) circumducta per circuitus murorum Jericho cives debellavit. *Jubileus* (ait Damascenus Ora. 2. de Dormit. loquens de B. Virgine) *in Arca Domini Dei toto animo, & muri cadent Jerichuntini, contrariorum potestatum infesta munitiones. Sic etiam fugam capiunt inimici sustinentes tantam Marianae notitiae fragrantiam, quae Gentes à religione Christiana alienae ad Christum advolant.*

1998 Splendor poterit huic nostrae explicationi conciliari ex Pf. 59. 10. *Moab olla spei meae: in Idumaeam extendam calcamentum meum, mihi alienigenae subditi facti sunt. Symmachus legit: olla securitatis meae. In nonnullis Codicibus, aula spei meae. Audiendus statim Ambrosius de Institut. Virg. c. 12. & 13. qui haec ad Virginem, ejusque fragrantiam spectare putat. *Moab aula spei meae, vel olla spei meae: utrunque enim in diversis codicibus invenitur. Aula regalis est Virgo, quae non est viro subdita, sed Deo soli. Est & olla uteris Matris, quae spiritu ferventi, qui supervenit in eam, replevit orbem terrarum, cum peperit Salvatorem. Deinde c. 13. sic monet: Excipite ex hac Moabitide olla gratiae caelestis unguentum, nec vereamini ne deficiat, quod exinanitum est, & plus redundat; quandoquidem in omnem terram odor ejus exiit. Agnosceis indubiè, Deiparam ex Ruth Moabitide descendente, ollam securitatis divinae, ollam unguenti odoratissimi & effusi plenam appellari? Expende nunc quae Pfalteris subicit: *In Idumaeam extendam calcamentum meum. R. Emmanuel extulit; quem multi alii sequuntur: proiciam chirothecam meam: illam eandem, quae dedit odorem suum, dum Christus esset in circuitione, in vallo, & obsidione sua; fragrantissimam nimirum Mariae notitiam; quae sparsa, & quasi suave olente chirotheca projecta, alienigenae subditi sum. Vel, ut Hieronymus legit, mihi serviunt, amici facti sunt. Quod de subjectis Christi gentibus Patres explicant, pellectis odoramento Virginis fame. Ut enim verissimè S. Cyrillus Alexand. to. 6. Concilii Ephesini c. 6. *Salve Virgo, per quam universa creatura Idolorum vesania detenta, ad veritatis agnitionem perducta est. Et S. Epiphanius de laud. Virg. Per te crux resplendit per universam terram. Per te mors conculcatur & spoliatur infernus: per te ceciderunt idola, & excitata est notitia caelestis.****

1999 Non hinc abeam, quin rem observem cum S. Basilio notatu dignissimam ex Epist. S. Basilii 175. *Ars quaedam est aucupandi columbas, videlicet talis. Ubi unam ceperunt, qui capiedis illis student, cicurem illam reddunt, & ad humanum convivium assuefaciunt. Deinde unguentum alas illius perungunt, sicutque conjungi agrestibus. Illa verò per unguenti fragrantiam agrestem illum ac liberi pastus gregem ad possessionem transfert ejus, cujus ipsa est domestica. Bene olentem namque sequuntur & reliqua, atque ita in potestatem columbarum veniunt. Quorsum haec? Constat ex c. 6. Canticorum v. 7. *Sexaginta esse Reginas in Ecclesia orthodoxa, & octoginta concubinas, & adolescentularum non esse numerum. Sic appellantur fideles animae, quae alibi saepe columbarum nomine indicantur, praesertim Isaiae 60. 8. *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi columbae ad fenestras suas? LXX. verunt: sicut columbae cum pullis ad me. Ubi S. Hieronymus: *Miratur Ecclesia volare ad se gentium turbam toto orbe terrarum, & assumptis alis Spiritus sancti festinare ut ingrediantur Ecclesiam. Subiit Sponsum columbarum Dominus eo c. 6. Cant. v. 8. *Una est columba mea, perfecta mea. Pagninus cum epithali ex Hebraeo vertit, una ipsa columba mea: numquam alia, numquam aliena, numquam alterius. Pro perfecta mea Hebraicè est thamatibi, id est, vera mea. LXX. alias reddunt & Levit. 25. 30. ex quorum mente jurè hic veritas, tota mea. De Virgine Matre sermo est, quae una ipsa, inter omnes, Dei solius semper fuit, tota Dei, tota domestica, nunquam agrestis. Columba haec, vel à suae Conceptionis momento, inuncta & imbuta à Deo fuit suaveolenti divinitatis & gratiarum unguento, quod in eam effusum largissimè est, cum Verbum divinum carne indutum intra sua viscera clausit, superveniente Spiritus sancti unctio. Ut enim Ambrosius lib. 3. de Virginibus. *Hoc unguento uncta est Maria, & Virgo concepit. Virgo peperit. Sic inuncta domestica Dei columba orbem perfudit universam fragrantia unguenti, jucundissimo suae notitiae odore usquequaque disperso, quo Gentilium, agrestem quidem, ac liberi pastus gregem, ad possessionem transfudit ejus, cujus ipsa est Domestica columba, & una ipsa, bene olentem namque fecerat: sunt reliquae, & in potestatem columbarum volarunt.******

Per arcam Mariae umbram subiecit Jericho. S. Damasc.

Odorifera spei nostra & securitatis olla Dei para. S. Ambros.

Per Mariam ad veritatis notitiam perducta gentes.

2000 **C**um Mater Ecclesia Spiritu sancto imbuta ad B. Virginis purissimam Conceptionem praeserta Siracidis verba referat, haud alienum ab Spiritu sancti consilio, Ecclesiae sententia, & Instituto nostro faciemus, si illis symbolis ex vario aromate, varioque odore petitis, quam possimus brevissimè, Deiparae immunitatem, sparsamque ejus toto orbe notitiam explicemus.

Primò, *cinnamomum*, utpote summè calidum (unde à verbo cana dictum, id est, cum zelo amare) aptum extat Marianae amoris symbolum, quo exarhit in Deum vel à suae Conceptionis puncto, ut probavimus ad vers. 12. in illustratione textus pro Deipara. Addendum hic ex Plinio lib. 12. cap. 19. *Cinnamomi radicem magni ponderis vidimus in Palatii templo, quod fecerat D. Augusto coniux Augusta, aurea patere impositam, ex qua guttura edite amnis omnibus in grana durabantur.* Dioscorides verò l. 1. c. 15. contra bestias, quae venenum expuunt, venenaeque omnia, praestantissimum esse cinnamomum, scribit. Et c. 73. *P. Idoph. de Flores in Eccles.*

Fideles ad Ecclesiam volantes, ut columbae.

Isai. 60. 8. S. Hier.

Cant. 6. 8.

Per Deiparam, unam & totam Dei columbam fragrantissimam.

S. Ambr.

SECTIO LI.

Sacra hieroglyphica ex odoratis aromatibus petita ab Ecclesiastico, immaculatam Mariae Conceptionem spectant, necnon celebrem tanti mysterii notitiam.

2002 Quid ergo subinde? Videlicet id hoc loco agebat Siracides Propheta, ut B. Virginis primam originem, quam in aspalathi radice meditabatur, nullo superbiae illius originariae fastu tumidam assereret; sed potiùs jucundissimo quodam humilitatis odore fragrantem exhiberet, quo universam Ecclesiam mirabili quadam suavitate perfunderet. Digna planè, quam caelesti arcu, tanquam regio diademate divinus coronaret Sol: à quo mirabiliter concipiendo tam ineffabilis est Mariae affusa suavissima humilitatis gratia, sicut à concepto sole aspalathus tam eximiam concipere odoris suavitatem Physiologia docet. Promovet porrò humillimi aspalathi odorem caelestis iridis diadema, purissimaeque Marianae humilitatis odorem divinus Sol etiam coronando, cohonestando, regiaeque gloria profequendo, ad admirabilem fragrantiam provexit: ad notitiam illam toto orbe clarissimam, ex qua universae generationis Mariae humilitati caelitus respecta, tantique honoris celsitudine commodatae, fastissimis beatitudinem vocibus adgratulatur: *Quia respexit humilitatem ancilla sua; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Et quidni faciant, cum odoratissima huic purae humilitatis fragrantiam ad se*

Maria amore in Deum exarhit à puncto suae Conceptionis. Plini.

Sic Serpentis morsum elusit.

cinnamomum unguentum adversus serpentium morsus illiniri ait. Certè quidem Virgo sanctissima eo divino amore, quo sacri instar cinnamomi vehementer exarhit, serpentem illum terribilissimum quam longissimè in stygia aberuncavit ergastula: huic amoris vel prima illa radice, quam in Marianam conceptionem jactam alibi diximus, venenatissimam bestiam strangulavit: vel una radice illius pretiosissima guttula, odoreque ejus suavissimo (ò quantis patris aureis, gemmatis plusquam Augustis dignissima!) ferum Draconis caput ad lethum usque contrivit. Hujus ardentissimi cinnamomi fragrantia, hujus amoris notitia, hujus immunitatis fama universam Ecclesiam summa jucunditate perfudit. Alia in B. Virginis laudem ex cinnamomi viribus perita promit Hugo Visio. Ser. 47. & Rikelus Ecclesi. 24.

2001 Secundò, in *Aspalatho* tria consideremus; formam, odorem, & vires. Plin. l. 12. c. 24. *modicam arborem* appellat. Et l. 24. c. 13. *humiliorem fruticem*. Roviulus in Hist. plant. l. 18. c. 41. *Humilem fruticem suavitè odoratum*. Hanc aspalathi breviter Rabanus Maurus ait esse Humilitatis symbolum. Odor aspalathi ab omnibus commendatur, à Siracide signatim: *Sicut aspalathus aromatizans odorem dedit*. Odorem hunc in radice maxime vigere, vel illud arguit, quod eam Plinius ait ad odores unguentorum praecipuè exquiri: *radix ejus unguentis expetitur*. Observat etiam, in quocumque frutice curvetur arcus caelestis, eandem, quae sit aspalatho, suavitatem odoris existere, sed in aspalatho inenarrabilem quandam, quam ex Sole conceptam addit lib. 17. c. 5. De aspalathi dotibus sat fit dicere, quoties aspalathi radix unguenta nobilitat (nobilitat verò pleraque, eaque illustriora, Rosaceum, Narcissinum, Cyprinum, Glucinum) ea quidem unguenta vitiosis, concitatissimeque patrocinantur vulvis, atque adeò humanam conceptionem fortunant, felicitant, beant. Ita Dioscorides l. 1. de Medici materia capp. mihi 52. 62. 64. 66.

2002 Quid ergo subinde? Videlicet id hoc loco agebat Siracides Propheta, ut B. Virginis primam originem, quam in aspalathi radice meditabatur, nullo superbiae illius originariae fastu tumidam assereret; sed potiùs jucundissimo quodam humilitatis odore fragrantem exhiberet, quo universam Ecclesiam mirabili quadam suavitate perfunderet. Digna planè, quam caelesti arcu, tanquam regio diademate divinus coronaret Sol: à quo mirabiliter concipiendo tam ineffabilis est Mariae affusa suavissima humilitatis gratia, sicut à concepto sole aspalathus tam eximiam concipere odoris suavitatem Physiologia docet. Promovet porrò humillimi aspalathi odorem caelestis iridis diadema, purissimaeque Marianae humilitatis odorem divinus Sol etiam coronando, cohonestando, regiaeque gloria profequendo, ad admirabilem fragrantiam provexit: ad notitiam illam toto orbe clarissimam, ex qua universae generationis Mariae humilitati caelitus respecta, tantique honoris celsitudine commodatae, fastissimis beatitudinem vocibus adgratulatur: *Quia respexit humilitatem ancilla sua; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Et quidni faciant, cum odoratissima huic purae humilitatis fragrantiam ad se*

Y y 3 quoque

Rovili. Aspalathus humilitatis symbolum odorifera.

Maria à sua conceptione jucundè humilitatis odore fragrans.

Arcus caelestis Deipara à divino Sole efformatus.